



CB1 000809219

FR XVIII / 134



CONSTITUTIONES  
SACRI PROVINCIALIS  
CONCILII TARRACONENSIS,  
AB ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO  
**D. D. EMMANVELE**  
DE SAMANIEGO, ET JACA,  
ARCHIEPISCOPO TARRACONENSI,  
Hispaniarum Primate,


*CELEBRATI ANNO 1727.*



*SUPERIORVM PERMISSV.*

Barcinone : Ex Officina JOANNIS PIFERRER, in Platea Angeli,  
Anno 1728,

CONSTITUTIONES  
SACRAE ROMANICATIS  
CONCILII TARTUCCIANI  
AB ELEAZORIS, ET REVERENDISSIMO  
D. D. EMMANUEL  
ARCHIEPISCOPO TARRACONENSIS  
HISPANIAE PRIMARI  
CELEBRATAE ANNIS 1595.





DON EMMANUEL  
DE SAMANIEGO, ET JACA,  
ARCHIEPISCOPUS TARRAC.  
HISPA NIARUM PRIMAS.

*AD FUTURAM REI MEMORIAM.*

**C**OMMVNIS adeò, & constans consensus est, tum apud Theologos, tum item apud Canonistas, promulgationem legis desiderari, vt subditi ejus obligatione obstringantur, quod non solum in humanis, sed in Divinis quoque idem observari asseveret: Lex enim Divina, & Evangelica non momento temporis obligare cœpit, sed paulatim, vt scilicet promulgabatur, neque omnino ejus præcepto homines adstricti sunt, donec sufficienter edicta, & prædicata fuit. In Conciliis quoque tam Generalibus, quam Provincialibus ea Patrum cura præcipua erat, vt eorum Sanctissimi Canones quamprimum promulgarentur. Nos ergo horum Sacratissimis vestigiis humiliter inhærentes, imò ea reveren-

ter deosculantes, præsentes Constitutiones Sacri Concilii Provincialis hac nostra Civitate Tarragonæ celebrati, anno millesimo septingentesimo vigesimo septimo, prælo mandare, & promulgare præcipimus.

ALLOCUTIO HABITA AB ILLUSTRISSIMO,  
& Reverendissimo D.D. Emmanuele de Samaniego,  
& Jaca, in prima Concilii  
Sessione.

ECVNDÒ jam adsumus RR<sup>mi</sup>. PP. hoc ipso  
loco, vbi semel anno superiori, Spiritu San-  
cto duce, congressi, in eam curam incu-  
buimus, vt Pastoralibus nostris studiis succurreremus  
animatorum saluti, & opitularem pietatis operibus  
jam penè deflorescentibus. Quo in genere, etsi à vo-  
bis RR. PP. vel plurimum elaboratum esse videatur,  
tamen si animadvertisimus Provinciæ hujus statum,  
quem vos etiam optimè nostis, is est, vt multa adhuc  
desiderentur ad operis inchoati consummationem, &  
perfectionem. Præsertim cum ea, quæ præcedentibus  
Conciliis sancita sunt, ita se habeant, vt vel nostra,  
vel aliorum culpa, illa executi simus, non planè om-  
nia. Scitis RR. PP. quæ à nobis insimul præscripta  
sunt de vita, & honestate Clericorum, de modestia  
tām viris, quām mulieribus christianis ordinata, de  
sacra, rectaque observatione festorum, de silentio,  
veneratione eaque summa, qua par est, Deum in Tem-  
plis colere, & deprecari. Illa certè omnia vt acta sunt

à nobis fortassè diligenter, sic pariter nostrum fuit,  
& est, & erit semper eadem exequi vel diligentissi-  
mè : parum quippe prodest optimo consilio decer-  
nere, nisi quod decretum est, sedulò præstetur; nam,  
ut scientia debet esse cum virtute copulata, sic decre-  
torum Constitutio cum executione in primis con-  
juncta , alioqui parvam affert utilitatem , vel certè  
nullam. Itaque cum operis nostri suscepti ratio con-  
ficiatur , & quasi confletur duabus hisce partibus le-  
gum scilicet optimarum sanctione , & executione , in  
hac nos fideles esse oportet, in illa prudentes ; si pru-  
dentiam in sanctiōne præstitimus, fidem in exequen-  
do præstemus, necesse est, ut & prudentes coram Do-  
mino, & fideles servi inveniamur.

Ecce SS.PP. in Conventu hoc Episcopali, cete-  
rorumque Provinciam constituentium propositum est  
nobis studium curationis, & nostræ, & nostri gregis.  
Quasi in specula positi sumus, ex qua singulis Pro-  
vinciæ nostræ partibus circumspectis, Ezechielis vo-  
ce divina admonemur , ut quod periiit, requiramus,  
quod abiectum est, reducamus, quod confractum est,  
alligemus, quod infirmum est, consolidemus, quod  
pingue, & forte, custodiamus. Hoc ipsum intonat no-  
bis Concilium Tridentinum pro moderandis mori-  
bus, corrigendis excessibus Concilia Provincialia ju-  
bens renovari. Ea nobis pro corrigendis excessibus  
ratio ineunda est , ut pro vi , & modo morborum,  
ægrorumque natura medicinam accommodemus ,

nunc

nunc levibus admonitionibus , & obiurgationis re-  
mediis errata castigantes , nunc acriori curatione pro  
delicti gravitate vtentes , denique exulceratis mem-  
bris ferrum , & ignem applicantes , quemadmodum  
mali ratio , & contagionis periculum postulabit , in  
omnibus tamen memores semper Patres nos esse , non  
Dominos , medicos agere benignos , non chirurgos  
laniantes ; in spiritu ergo lenitatis , vt monet Aposto-  
lus , populi nobis concreti instruendi sunt.

At si speculatores sumus RR. PP. vt verè su-  
mus , magnoperè nobis timendum est , inquit Magnus  
ille vir exemplar Prælatorum Sanctus Carolus Borro-  
mæus , magnopere timenduni , ne à Domino argua-  
mur , & præstringamur . Si speculatores eratis , cur  
cæci ? Si Pastores , cur gregem commissum errare  
permisistis ? Si sal terræ , quonam modo evanuistis ? Si  
lux eratis , cur sedentibus in tenebris , & umbra mor-  
tis non illuxistis ? Si Apostoli , cur Apostolica virtu-  
te colla superborum non humiliastis ? Si os Domini ,  
cur muti ? Si vos huic oneri impares esse sentiebatis ,  
cur non abjecistis ? Si pares , cur ita desides , & negli-  
gentes ? Has horribiles irati judicis voces nobiscum  
PP. animo , menteque reputemus , vt iis , atque adeò  
aliis excitati in hac sacrosancta tam gravium rerum  
tractatione , non remissè , non leniter , non timidè ,  
sed sincerè , sancta , constante solicitudine , quod  
in nostro officio , nostroque munere positum est , aga-  
mus , & Spiritu Sancto duce perficiamus . Aderit pro-

fectò, aderit cælestis ille Pater lumenum, à quo omne  
bonum , & omne donum perfectum , laboresque no-  
stros affatim remuneraturus , qui opem , auxiliumque  
in tempore opportuno haudquaquam negabit , ne-  
que misericordiam suam in finem abscindet. Tu ergo  
Domine Deus omnipotens , qui jussisti seniores sep-  
tuaginta de populo à Moysè convocari ad ostium ta-  
bernaculi foederis , illisque eodem loco commoranti-  
bus adesse , atque vnum, eundemque spiritum largiri  
dignatus fuisti , quique Apostolis tuis in vno loco  
congregatis , Spiritum Sanctum tuum misisti , eorum  
mentes illuminasti , corda vsque adeò accendisti , vt  
incredibili ardore inflammati vniversum orbem se-  
cundis prædicationibus peragratum, Christianum red-  
diderint ; nobis quoque , qui quantò infirmiores su-  
mus, tantò plus his auxiliis indigemus , adesto , quæ-  
sumus , mentes nostras Divini tui luminis splendore  
illustra , bonitate fove , sapientia rege , moderare , vt  
vna mente , vno consilio , vno Divinæ charitatis ar-  
dore conglutinati , ita munera nostra , officiaque exe-  
quamur , vt tandem sempiterna illa gloria , in te vno  
Deo, trinoque feliciter perfruamur. Amen.

CONSTIT



**CONSTITUTIONES  
SACRI PROVINCIALIS  
CONCILII TARRACONENSIS,  
CELEBRATI ANNO 1727.**

CONST. I.

**P**RÆDECESSORES nostri tollendis , ac eliminandis , qui irrepserant , abusibus sedulò intenti , Institutiones , & Permutationes Beneficiorum personalium ( quæ ab immemorabili in hac nostra Tarragonensi Provincia erigi , & institui solent ) optimis , ac saluberrimis legibus munierunt . Quia tamen cupidorum hominum versutia eas perperam interpretatur , aut ignorare prætendit , Sacro approbante Concilio , antiquis aliquas superaddere , & omnes simul , vt vnico conspiciantur obtutu , cogere , perque Capita digerere constituimus , quò faciliùs observeniur , & via omnis in posterum fraudibus præcludatur .

I. Pecuniæ in Tabula , Banco , Deposito , vel Thecassio licet tuto , & seculo reconditæ , non valent pro dote , vel augmento dotis Personatus validè , & licetè deservire : sed præcisè in Censualibus , vel aliis redditibus perpetuis , aut

prædiis fructiferis ; non super bonis dotantis , nec ejus , qui Patronus efficitur , sed super aliis rectè collocatæ esse debant , & investitæ , sub poena nullitatis Institutionis.

II. Beneficiorum personalium permutationem Ordinarii permittere non valeant , nisi elapsis , sine dispensatione aliqua , quadraginta quinque diebus , ab Institutionis die antea numerandis , sub poena nullitatis Permutationis.

III. In ipsa erectione Personatus declarandæ sunt species Piorum Operum , in quæ illorum redditus , in casu extinctionis , convertendi , & distribuendi erunt. Quæ declaratio , non sub clausula generali omnia Opera Pia complectente , sed sub speciali determinata , & non ultra sex species conjunctim , vel disjunctim designante fieri poterit. Reditus autem Personatum , quorum Institutiones , seu Permutationes contra formam his tribus Capitibus præscriptam exequutæ fuerint , Ordinarii in Pia Opera sibi benevisa , pro suo arbitrio , & conscientia , irremisibiliter convertant.

IV. Nullus Personatus sine auctoritate , & decreto Ordinarii erigatur , permutedetur , aut extinguatur : illorumque extinctiones ad hujusmodi effectum locorum Ordinarii notæ fiant infra sexaginta dies ( terminum triginta dierum in Constitutione secunda anno millesimo sexcentesimo nonagesimo nono à bonæ memoriæ Don Josepho Linas edita præfixum , benignè ampliantes ) ; alias Ordinarii , redditus extictorum Personatum , in Opera Pia , ex designatis in limine Fundationis , sibi benevisa similiter convertant : Hæredes autem , & Manumissores Obtentorum Personatum , qui istorum extinctionis notitiam habuerint ; nec non Notarii , in quorum posse Personatum extictio sive inter vivos , sive in ultima voluntate confecta fuerit , infra terminum prædictum , Ordinario notam facere , sub Excommunicationis majoris latæ sententiæ poena obnoxii sint.

V. Ordinarii Institutiones , vel Extinctiones Personatum

tuum pro Pia Causa maritandi , vel in Matrimonio carnali collocandi Puellas , seu ad Studentes in litteris erudiendos erectas , non admittant , nisi exprimatur , tam Puellas , quam Studentes verè Pauperes , juxta suum statum , esse debere . Eveniente autem Piotorum reddituum distributionis casu , erit Ordinariorum pro tempore indagare , & prudenter judicare , an Puellæ , vel Studentes , pios redditus postulantes verè Pauperes juxta suum statum sint , & dici valeant .

VI. Capitale dotis Beneficiorum Personalium nullo titulo , nulloque prætextu , etiam applicationis in pios usus faciendæ extinguatur sub poena Excommunicationis majoris latæ sententiæ , & si Obtentor Personatus , doli , vel fraudis in extinctione memorati capitalis particeps fuerit inventus , ultra dictam poenam , teneatur dotem de bonis propriis , appellatione omni rejecta , iterum statuere , privatus que ipso facto remaneat tali Personalí Beneficio , de quo , vel de ejus redditibus , loci Ordinarius in Causas Pias sibi benevisas , juxta tenorem Institutionis , disponat . Notariis autem sub eadem Excommunicationis poena non liceat Instrumenta , in quibus talia capitalia extingui cognoverint , nec obligationes indemnitas , sub quocumque prætextu confiscere , immo talia Instrumenta , & obligationes , de quibus fraudem , vel collusionem aliquam suspiciati fuerint , Ordinario denuntiare teneantur .

VII. Ut autem hæc stringant fortius , inviolabiliterque observentur , in ipso limine foundationis Personatus exprimet Fundator : Et (insequendo consuetudinem hujus Provinciae , Constitutionesque Conciliorum Tarragonensium ) volo Capitale perpetuum integrè permanere , nulloque prætextu unquam extingui , solummodoque annuos redditus in Pia Opera supra expressa converti , nullatenus autem dotem , vel partem dotis ; cum firma , & determinata voluntas mea sit , quod ista nunquam insumatur . Insuper in eadem fundatione declarabitur : Quod in causa litionis alicujus Censualis , Depositum in

*Tabula, Thecassio Capituli, vel alicuius Communitatis, aut alio loco publico omnino fieri debeat sub pena nullitatis litionis, à quo levare non possit, nec smertiari sine Ordinarii Decreto, sub eadem pena; nec in favorem possessoris, vel Patroni Beneficij personalis. Denique in eodem fundationis limine transcribetur dispositio supra §. IV. apposita de notitia Ordinario danda infra sexaginta dies eveniente Personatus extinctione.*

VIII. Ad hæc, etsi Beneficia personalia ita nuncupata sint, quod non ut in perpetuum Beneficia remaneant, sed ad vitam aliquarum Personarum Ecclesiasticarum dumtaxat instituantur, & postea eorum redditus in alios Pios usus applicentur: nolumus tamen, quod hæc applicatio fieri permittatur ultra tres Personatariorum vitas: ita ut si tertius Personatus Obtentor de illius redditibus non disponuerit in aliquam Piæ Causam ex his, quæ in fundatione designatae fuerunt, dispositio ad Ordinarium devolvatur. Quamobrem inhibeantur in posterum Fundatores hanc facultatem Ordinariis secundum jus, & consuetudinem competentem imminuere; adeoque eis non permittatur in fundationis limine illa clausula, aliquoties præposteriorē apposita, qua determinabatur species Piæ Causæ pro casu, quo ultimus personalis Beneficii Obtentor obierit tali non facta determinatione, seu dispositione: Cum ea derogaret Ordinario libertatem disponendi de redditibus Personatus, concessam secundo, & tertio Obtentoribus.

IX. Et ut omnis deformitas vicietur in Institutionibus Personatum statuimus, quod una præscribatur generalis formula amplectens omnes supra memoratas clausulas, & conditiones, qua uniformiter ventur in posterum omnes Curia Ecclesiasticae hujus nostræ Tarragonensis Provinciæ.

X. Tractatus omnes, seu conventiones de Personatu fundando sub tali dote, illoque permutando cum alio Beneficio, nullatenus fiant, nisi dependenter à voluntate

5

Ordinarii; cui, ante Personatus fundationem, omnia pacta, illorumque circumstantias Partes referent, & exponent, licentiam petentes: quam Ordinarius ( si dolum omnem, ac fraudem cessare viderit ) poterit impetriri; exprimens postmodum in Decreto, quod in Personatus institutione interponere debet, se jam ante fundationem ex justis causis suum animum moventibus licentiam dedisse.

XI. Insuper in omnibus Ecclesiasticis Curiis, specialis aliquis destinabitur liber, in quo Decreta omnia Institutionum, Permutationum, ac Extinctionum omnium Personatum originaliter descripta maneant, cum expressione Piorum Operum, reddituum, & Censualium, quibus dotati primiū fuere: Ne ob istorum ignorantiam ( vt sāpe sāpius contigisse vehementer dolemus ) plura Pia Opera miserè pereant, & evanescant.

XII. Denique, vt omnium, quæ in hac nostra perpetuò valitura Constitutione statuta, præcepta, & prohibita sunt, ignorantiam nemo prætendere præsumat, volumus, quod illa in vulgari lingua traducatur, ac in vitroque idiomate, Latino, & vulgari typis mandata, retineatur patens, & obvia, tabellæ ligneæ affixa, in omnibus Curiis Ecclesiasticis, Archiviis Capitulorum, & Communitatum Presbyterorum, in Sacristiisque suarum Ecclesiarum. Oportebit etiam ad vbetiorem notitiam, quod in materna lingua traducta ab omnibus Parochis, semel in anno, in die ab Ordinariis præfigendo, inter Missarum solemnia coram Populo congregato legatur, & evulgetur.

## CONST. II.

*PAROCHI INSISTANT DOCTRINÆ CHRISTIANÆ  
institutioni, tum Populi, tum puellarum,  
& puerorum.*

**C**Vm omnes Christifideles teneantur, pro suo captu, sci-  
re, quæ ad Religionis Christianæ substantiam perti-  
nent, mysteria scilicet fidei, quæ continentur in Symbolo,  
præcepta Decalogi ab omnibus servanda, Sacra menta quo-  
que, saltem ea, quæ necessariò ab unoquoque suscipienda  
sunt; tum demum quæ à Deo petere, & spectare debemus;  
sedulò, ac diligentí studio in his erudiendi sunt à Pastori-  
bus: Ideo antiquorum Canonum, ac Sac. Concilii Tridentini statutis inhærentes, S. A. C. decernimus, ut omnes Pa-  
rochi, tam Sæculares, quam Regulares per se, aut si legiti-  
timo detineantur impedimento, per Viros idoneos, ab Or-  
dinario approbatos, omnibus diebus Dominicis, ac aliis Fe-  
stis, intra Missarum solemnia, Populum, & stata hora post  
meridiem, pueros, & puellas disertè, ac verbis captui au-  
dientium accommodatis, modò unum, modò alterum ex  
præcipuis Doctrinæ Christianæ Capitibus docere teneantur,  
per tempus vnius horæ quadrantis intra Missam, & dimi-  
diæ horæ post meridiem. Parentes quoque eorum admo-  
neant, ut filios, ac famulos domi, bonis moribus, ac exem-  
pto instituentes, ea, quæ ad Doctrinam Christianam spe-  
ctant, frequenter doceant; crebrò repentes, quæ à Paro-  
chis audierunt. Quodque prædictos mittant ad Ecclesiam,  
quam primum statuta hora, sono Campanæ convocabuntur;  
in Parochiis autem ruralibus, ubi difficile est congregare  
pueros post meridiem, Parochi, aliis mediis opportunis  
vtantur, quæ certè zelus animarum sibi creditarum sugge-  
ret, ut pueri, & rudes instructi remaneant. Notum ipsis esse  
volentes, quod si negligenter se gesserint in suo munere  
adim-

adimplendo, contra ipsos procedetur, & suis sumptibus ad docendum Populum Substituti mittentur.

Vt facilius perniciosa ignorantia Doctrinæ Christianæ occurratur, cunctis Parochis, ceterisque Confessoribus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, in virtute sanctæ Obedientiæ præcipimus, eorum conscientias onerantes, vt in sacramentali confessione, de Doctrina Christiana sedulò penitentes examinent (exceptis his, de quorum instructione, ac scientia sunt moraliter certi) & si quos in re tanto-pore ad salutem necessaria culpabiliter ignaros repererint, eorum socordiam patienter arguant, & absolutionis beneficium, quo usque fuerint sufficienter instructi, non impendat; præsertimque, & diligentius præfata exequantur tempore Quadrage simæ.

Concionatores omnes, in visceribus Jesu-Christi hortamur, vt divinam vltionem denuntient Patribus familias, qui parva, aut ferè nulla diligentia adhibita, omnem rationem non ineunt, vt sui liberi, ac famuli Christianam Doctrinam addiscant; & quod in omnibus concionibus, relictis inutilibus quæstionibus sacrosanctum Evangelium ad Populi instructionem, & ædificationem exponant; memor res se in tremendo Dei judicio, sui munera rationem stram esse reddituros.

Cum in Civitatibus, & Oppidis populosis fortè plusquam in aliis deploranda Christianæ Doctrinæ ignorantia inveniatur, curæ sit omnibus Episcopis, huic tam graviduno occurrere, institutis Congregationibus, aut Confraternitatibus Doctrinæ Christianæ, vel aliter, prout juxta temporum, & locorum qualitatem ipsis videbitur expedire. Ac sedulò invigilent, vt executioni mandetur Constitutio 4. quæ incipit. *Ad nostrum pervenit auditum tit. de Summa Trinitate, in qua præcipitur, ne patiantur Evangelium explicari alia lingua, quam materna. Quod in omnibus hujus Provinciæ Ecclesiis Parochialibus, tempore Adventus*

præcipue, & à Dominica Septuagesimè ad totam Quadragesimam, volumus, ac decernimus inconcusse servari. Prædictoribus autem id detrectantibus, aut munus prædicandi exercentibus aliter, quam vernacula lingua, sine expressa Ordinarii loci licentia (quæ in uno, vel in alio dumtaxat casu indulgeatur) officium prædicationis interdicant Episcopi.

### CONST. III.

**CLERICIS IN SACRIS CONSTITVTIS INDECORA  
ministeria prohibentur, honestasqè vestitus  
præscribitur.**

**M**aximoperè opportet, eos, qui Sanctuario deserviunt, se in omnibus tamquam Dei Ministros exhibere, vi- tamque, ac mores suos ita omnino componere juxta mandatum Concilii Tridentini, ut habitu, gestu, incessu, & sermone, nil, nisi grave, modestum, ac religione plenum præseferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum vita, & exemplo Populus ad pietatem, & ad Dei cultum assiduè instruatur. Quamobrem plura, à Summis Pontificibus, & Sacris Conciliis de Clericorum vita, & honestate, salubriter edita fuerunt decreta. Quibus inhærendo, Constitutione Provinciali X. quæ incipit: *Nemo militans Deo, de vita, & honestate Clericorum, sub excommunicationis pena Clericis in Sacris Ordinibus constitutis prohibetur Ministros, & famulos esse Laicarum personarum, eorumvè mense ministrare;* Nec non feminas cujuscumque status eisdem Clericis inuti, eorumque manibus, vel brachiis adhærere, aut eadem mula, equo, vel jumento vehi. Et Constitutione XI. incipiente: *Et si sublimis, ejusdem tit. sub eadem pena præcipitur, nè Mulieres aliquas præter Aviam, Matrem, Sororem, Amitam, vel*

Materteram in Sacris Ordinibus constitutus , pedester , vel equester publicè deducere , vel reducere audeat . Nec non Constitutione XI. quæ incipit : *Cum scriptum sit* , de Immunitate Ecclesiar. præcipitur , Clericos in Sacris Ordinibus constitutos , aut Beneficiatos , aut Regulares quoscumque , qui deprehensi fuerint personati , carceri triduo includi , ibidemque in pane , & aqua jejunare , aut alia simili , vel majori pena , juxta delicti , aut Personarum qualitatem coerceri . Similiter Concil. Gerundense Constit . V. cuius initium exteriori jubet , ut Clerici Beneficia obtinentes , tam in Populis , quam ad iter faciendum , vestes licet contractiores induant nigri , non autem alterius coloris ; Et quod in Sacris Ordinati in Civitatibus , Villis , & aliis similibus hujus Provinciæ populis , veste talari ( vulgo sotana ) longa usque ad pedes utantur . Quia tamen horum plura temeraria transgressorum audacia contempsit S. Ap. C. dictas Constitutiones Provinciales instaurantes , statuimus , & ordinamus , quod omnes Prælati super prædictis sedulò invigilent , quodque adversus contrafactores , juxta dictarum Constitutionum tenorem procedant , etiam aliis penis , & mulctis decem , vel viginti librarum in eos animadverentes .

#### CONST. IV.

*ANTE DENUNCIATIONES , MATRIMONIVM  
contracturi , de Doctrina Christiana  
examinentur.*

**V**T in fidei rudimentis Parentes valeant , pro ut debent , filios erudire , in his expedit Matrimonium contratuos esse apprimè instructos . Ideò præsenti Constitutione S. A. C. Sancimus , ut eos Parochi de Doctrina Christiana , ante denunciationes , diligenter examinent , in eaque ignaros seriò moneant , ut ante tertiam denunciationem in

ipsa instrui satagant. Quod si salubri hac monitione, vecordes in ignorantia sua adhuc permanferint, Parochi super hoc Ordinarios consulant, ut de opportuno remedio quamcùmque provideant. In attestatione verò, quam de peractis denunciationibus exhibent, teneantur de contrahentium instructione pariter fidem facere. In his itidem qui proclamacionibus dispensatis Matrimonium contrahunt, idipsum statuimus ante ejus celebrationem.

## CONST. V.

**CONSVLITVR PERPETVITATI ECCLESIASTICORVM  
reddituum.**

**L**icet Predecessorum nostrorum cura, & vigilancia, variā providerit opportuna remedia pro conservatione, & perpetuitate Ecclesiasticorum reddituum, ut in Constitutione X. bonę memorię Illustrissimi Domini Don Ferdinandi Loaçes, quę incipit: *Quod frequenter*, sub tit. 9. de rebus Ecclesię alienandis, vel non, & in Constitutione IX. ejusdem. sanę memorię Illustrissimi Domini Don Josephi Sanchez, quę incipit: *Totius status Ecclesiastici*, anno 1685. edita, continetur. Cum tamen experiatur frequenter, per inobsvrantiam eorum, quę in dictis Conciliariis dispositionibus providè stabilita fuere, propter malitiam, vel incuriam Ecclesiasticarum Personarum, plures redditus Ecclesiasticos miserrimè perire, & perperi: Huic gravissimo malo, pro officii nostri muneric adimplemento, occurrere volentes, Sacro approbante Concilio, strictè precipimus, & mandamus, quod in casu luitionis Censualium quorumcumque Beneficiorum perpetuorum, vel Personarum, Curatorum, Oneris Missarum, Aniversariorum, Piorum operum, Monasteriorum Monialium Jurisdictioni Ordinariorum subjectarum, & quarumlibet Ecclesiasticarum Ad-

Administrationum ; eorum pretia , seu capitalia debeant  
præcisè deponi in aliquo loco publico pro similibus Depositi-  
tis faciendis destinato , sive in Archiviis , vel Thecassiiis  
Ecclesiarum Cathedralium , Collegatarum , & Communi-  
tatum Presbyterorum , vel aliàs in aliis locis tatis , ab Ordini-  
nariis per edictum publicum , ut omnibus innotescat , se-  
cundum districta suarum Diœcesum , pro commoditate  
Ecclesiarum , & Ecclesiasticorum designandis : Quod ex-  
qui irremissibiliter debeat , licet in Instrumento creationis  
Censualium prædictorum ita cautum non fuerit , sub pena  
nullitatis lutionis , vltra incarcerationis penam per tres  
menses pro Clericis , & quibuscumque Beneficiatis cuiuscumque  
qualitatis , & conditionis fuerint , inflictam in præ-  
fata Constitutione Illustris. Domini Don Josephi Sanchiz ,  
qui prædictas lutiones , non facto , modo prædicto , Deposito  
firmate ausi fuerint . Et deinceps in omnibus Instrumentis  
consimilium creationis Censualium , debeat dicta obligatio  
faciendi præfatum Depositum apponi , sub penis arbitrio  
Ordinarii injungendis , & in subsidium Excommunicatio-  
nis majoris contra dictas Personas Ecclesiasticas , Notarios ,  
ac alios contravenientes . Quę quidem deposita in Libro  
Depositorum Archivii , Thecassii , vel alterius loci publici  
ad id designati conscribi debeant , sub penis Ordinarii ar-  
bitrio imponendis . Insuper decernentes , quod sub eadem  
pena pretia , seu capitalia Censualium inde levari , nee  
amoveri possint , nisi ad emendos alios redditus Censuales ,  
& prævio Ordinarii , seu superioris Ecclesiastici Decreto ,  
quod in calce scripture creationis Censualis , interponi de-  
bebit ; adhibito per dictum Ordinarium , vel Superiorum  
Ecclesiasticum prævio diligenti , ac præmaturo examine , su-  
per securitate præfati smertii , quin sufficiat notitia , quam  
de eo habuerint per suam interessentiam in tractibus , &  
deliberationibus habitis in suis respectivè Capitulis , aut  
Collegiis . Cujus quidem Decreti interpositio conscribi de-  
bebit

bebit tām in Libro Depōitorum p̄dictorum Capitulo-  
rum , & Communitatum Ecclesiasticarum , quām in pecu-  
liari Libro in omnibus Curiis Ecclesiasticis conficiendo , in  
quo Notarii illarum p̄dicta Decreta annotare debebunt ,  
cū brevi expressione creationis talis Censualis , declaran-  
do quantitatem , diem , & Notarium , in cuius posse est con-  
fecta scriptura ejusdem creationis : Et quod Notarii , p̄d-  
ictas scripturas creationum Censualium claudere neuti-  
quam possint , nec minus Administratores , seu alię quevis  
Personę , ad quarum curam pertinet custodia p̄dictorum  
depositorum , permittere , quod leventur , & extrahantur  
prefata capitalia , quin priū sit appositum Decretum p̄d-  
ictum , sub pēnis arbitrio Ordinarii injungendis . Pr̄lati  
autem , aut Superiores Regulares depositorum loca desig-  
nabunt pro casibus similiūm litionum Censualium tām  
Beneficiorum , & Officiorum Regularium , quām Sēculat-  
rium , ac Monasteriorum , ac Ecclesiarum p̄dictis Regu-  
laribus subiectorum , decretum , sive auctoritatem suam eo-  
rum omnium smertiis interponendo . Si verò per Constitu-  
tiones Synodales singularum Diœcesum hujus nostrę Pro-  
vincię , vel alias per Fundatores , aut Patronos Beneficio-  
rum , sive Piorum operum , de strictiori aliqua providentia ,  
tām in depositis , quām pro majori tuitione in smertiis fa-  
ciendis , cautum fuerit ; per hanc nostram Constitutionem  
nihil imminui , vel detrahi velle declaramus .

## CONST. VI.

*OBEDIENTIA ERGA APOSTOLICAS BVLLAS*  
*Vnigenitus, & Apostolici Ministerii*  
*renovatur.*

**T**arragonense Concilium , insistendo debite reverentię,  
qua Romano Pontifici , ut legitimo totius Ecclesię Ca-  
pit̄i

piti ante acta hucusque in hac Provincia Concilia paruisse gloriāntur, Apostolice Constitutioni felicis recordationis Clementis Papæ XI. incipientis: *Vnigenitus*, Divino afflante Spiritu adversus tot errores compacte: necnon Bullæ Innocentii Papæ XIII. incipientis: *Apostolici Ministerii*, semel iterumque confirmatæ à Sanctissimo Domino nostro Domino Benedicto XIII. Divina nunc Providentia Ecclesiam Christi regente, obedientiam, jam dudum à singulis Provinciæ Dicēcesibus exhibitā, nunc denuo communi omnium consensu renovat, atque confirmat, eamdemque singulis, in præfatis Bullis alta mente constitutis legibus, observantiam integrā, inviolatamque præstandam in posterum esse decernit.

## CONST. VII.

**PROCESSIONIBVS, NOVENARIIS, COMPLETORIO,**  
*Extractionibus ad Nuptias virginum, aliisque vesper-*  
*tinis Solemnitatibus præfinitur*  
*alia (incoli filio audie tempus).*

**A**D aures nostras, non sine ingenti animi dolore, per-  
 venit, in hujuscè Provinciæ Iodis quamplurimis id  
 jam usu, vel abusu potius invaluisse, ut nonnullæ sacræ fun-  
 ctiones ad pietatem & Dei, sanctorumque honorem iusti-  
 tutæ in eorumdem contemptum vergant, quia vel nocte  
 peragi incipiunt, vel saltem vespere jam cadente cæptæ  
 usque ad cæcas noctis tenebras protrahuntur, ita fieri sole-  
 re accepimus, cum ductis de more sortibus, quarumdam  
 virginum extrahuntur nomina, ut cui fundata sors obvene-  
 rit, aditus ad Nuptias patefiat: Ita etiam cum novem dia-  
 riæ quædam devotiones celebrantur, aut canitur solemne  
 Completorium, aut Processiones circumducuntur, aut his  
 similia exercentur: Quare cum sciamus tenebrarum Prin-  
 ci-

cipem odiſſe lucem , & noctis vmbras sceleratorum esse  
receptaculum , vt sancta sancte , diurnoque tempore , sicut  
vniversa aſſolet Ecclesia , tractentur , & vt dœmoni præſcindatur  
omnis insidiarum occasio , prædictas nocturnas fun  
ctiones eliminare penitus cupientes , districte præcipimus  
omnibus Ecclesiasticis Personis , tam Sæcularibus , quam Re  
gularibus , ad quas attinet , hisce solemnitatibus tempus , &  
modum præfigere ; omnem operam adhibeant , vt maturè  
incipiant celebrari , neque vltra dubiam solis occidentis  
lucem , aut ad summum vltra Campanæ ſignum ad saluta  
tionem Angelicam recitandam quomodolibet protandan  
tur ; ſed statim , vt noctescit , Ecclesiarum claudantur fores ,  
ne apertæ tenebrarum Principi latius pateant ad insidias fi  
delibus machinandas . Exactam autem hujus noſtræ Conſti  
tutionis obſervantiam Paſtorum humeris injungimus ; ex  
quibus ſi nihil proſit benignitas , ſeveritatem adverſus tran  
grefſores in re tanti momenti jure poſtulamus ; Ordinario  
rum providentia relinquentes , iſtius legi rigorem (evitatis  
tamen , Parochorum vigilantia , & Consilio , periculis abu  
ſuum , qui ex hiſ nocturnis conventibus oriri ſolent ) ali  
quando temperare , ſi iſta in Domino judicent expedire .

## CONST. VIII.

### PAROCHORVM OBLIGATIO CIRCA INVISENDOS agrotos.

**C**Vm humani generis hostis ( vt ex Tridentino vbi de  
Extrema-Vnctione agitur , compertum habemus ) in  
homines ſuos verutiae nervos nunquam magis intendat ,  
quam cum mortalibus imminere vitæ exitum perspicit , &  
certiſſimum ſit ex ejusdem ſeff. 6. cap. 1. de reformatione  
non admitti Paſtorum excuſationem ſi lupus oves comedit ,  
& Paſtor nescivit : Nos inhærentes tum prædictæ Sacro  
fan-

sanctæ Synodo, tum Sacrae Congregationis Decreto, incipienti: *Cælsonensis Episcopus*, edito anno Domini 1692. declaranti, Episcopos uti debere juris remediis, vt Parochos ad visitandos ægrotos ipsorum curæ commissos cogant, atque compellant; etiam atque etiam admonemus Parochos, & omnes Animarum curam habentes, vt injunctum munus in hac re sedulò perpendant, & apertè videbunt, satis non esse infirmorum domos adire solum, cum Sanctis Ecclesiæ Sacramentis roborandi sunt; sed ex quo morbus ingravescat, fore iterum, iterumque, immo & quotidie, si fieri possit, invisendos, & piis, oportunisque contritionis aetibus, & æternarum rerum colloquiis muniendos, vt oves infirmæ corpore, Pastore animum roborante, diabolicas fraudes eludant, & solutæ (si Deo placeat) à corporis vinculis, ad electorum gregem perducantur. Qua in re quotquot Parochi, & Animarum curam gerentes deliquerint, quod Deus avertat, sciant tamquam profugos mercenarios se poenas juris apud Episcopum proprium incursumos.

## CONST. IX.

### *RENOVATIO OBLIGATIONIS MEDICORVM ERGA Infirmos, quos visitant.*

**E**adem de causa Patribus hujus S.C. placuit in memoriā revocare Apostolicam Constitutionem felicis recordationis Innocentii Papæ III. à Sancto Pio Papa V. renovatam, & ampliatam cum Constitutione, quæ incipit: *Supradictum Gregem Dominicum*, in qua sub gravibus penitentiis statuitur, quod Medici ad sananda ægrotorum corpora vocati, Infirmos ante omnia moneant, vt idoneo Confessori peccata sua, juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, confiteantur, neque tertio die ulterius eos visitent, nisi Confessor longius tempus Infirmo ob aliquam rationabilem causam concesserit,

& eis

& eis per fidem Confessoris in scriptis factam consticerit, quod Infirmi peccata sua confessi fuerint. Pariterque benevolium fuit eisdem Patribus innovare, & confirmare, pro ut cum praesenti innovant, & confirmant, Constitutionem Provincialem Tarragonensem, qua est lib. 5. tit. 16. De pœnitentia, & remissione peccatorum, cap. 6. incipientem: Dilectionis debitus ordo, qua vniuersis, & singulis corporum Medicis sub Excommunicationis poena ipso facto incurrienda, districte præcipitur, & mandatur, ut nullum Infirmum ultra tertiam vicem visitare præsumant, de quo non sciant, quod in illa ægritudine salutare penitentiæ receperit Sacramentum. Et ut talis Constitutio omnibus innotescat, adjicitur, quod locorum Ordinarii saltem quater in anno, videlicet in Festis Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ, in principalioribus Ecclesiis suæ Diocesis, vel Territorii Constitutionem hujusmodi publicare facere teneantur: quam quidem Constitutionem Provincialem intelligendam volumus, ut per se patet, in ordine ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, non autem Sanctissimam Eucharistiam, cum etiam S. Pius V. de sola confessione loquatur. Similiterque haec nostra præfens Constitutio, sicut & præfata Tarragonensis intelligi non debet in illis adeò levibus infirmitatibus, quas in periculosas transire frequenter non experitur.

## CONST. X.

### DE PRÆLATORVM, AC DIGNITATVM ABSENTIVM Procuratoribus ad Concilium Provinciale.

**S**implices Presbyteri, aut Beneficiati, licet Doctoris titulo in Sacra Theologia, aut in vitroque, vel altero iure decorentur, ad Concilium Provinciale, tamquam Procuratores Prælatorum, aut Dignitatum absentium, non ad-

admittantur, nisi ab Episcopis fuerint constituti, quibus facultas illos instituendi, juxta præscriptum in Constitutione X. quæ incipit: *Antiquam*, tit. de Constitut. non adimitur, imò expressè præservatur, eos admonendo, vt cum prædicta Constitutione X. & alia bonæ memoriarum Illusterrissimi Domini Don Antonii Perez, circa Procuratores Episcoporum, quæ incipit: *Cum Episcopi*, anno 1636. edita, in quantum valeant, se conforment: Abbates vero, & aliæ primæ Dignitates Ecclesiarum Collegiatarum, & Monasteriorum, si fuerint Sæculares, Procuratores mittere debeant Dignitates, aut Canonicos suarum respectivè Ecclesiarum; si vero Regulares fuerint, Religiosos Professos sui Monasterii, aut Ordinis, vita, & honestate probatos: Si autem justo aliquo impedimento tales, vt prædictitur, & in dictis Constitutionibus continetur, mitti non posse contigerit, declaramus licere tam Episcopis, quam Abbatibus, & aliis Dignitatibus Procuratorem constituere quemlibet ex Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiarum Cathedralium hujus nostræ Provinciæ in Sacris Ordinibus constitutum, illum instruendo de iis, quæ in Diœcesis, aut Ecclesiis suis reformatione, aut reparatione indigere cognoverint, volentes insuper, quod singuli Procuratores exteris polleant qualitatibus, quas antiquæ Constitutiones in eis, qui Procuratoris munus assumpserint, requirunt.

## CONST. XI.

*IN SACRIS ORDINIBVS CONSTITVTI, TAM SÆCVLARES,  
quam Regulares munus Patrini non subeant in Sacramento  
Baptismi, & Confirmationis.*

**D**ecori Ecclesiastici status consulere volentes Constitutionem V. quæ incipit: *Quoniam in nostra Provincia*, tit. de Baptismo hac nostra innovantes S. A. C. præcipi-

pimus, vt posthac tam Sæculares, quam Regulares Presbyteri, & alii in Sacris Ordinibus constituti, & Beneficiati in Sacramento Baptismi, & Confirmationis puerum, vel puellam non teneant, nisi omnibus perspectis, Episcopus dispensare judicaverit.

## CONST. XII.

**EXCOMMUNICATIONIS GLADIUS NON DE FACILI,  
nec temere incutiatur.**

**Q**uo magis gravis, ac formidandus est spiritualis Excommunicationis gladius, eo cantius, magna que circunspectione est exercendus; adeo vt nec levi aliqua ratione, nec absque ingenti necessitate, nec extra Justitiam Leges debeat evibrari, cum experientia doceat, hunc terribilem gladium, si temerè, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, ac perniciem potius parere, quam salutem. Ideo adherentes Decreto S. C. T. sess. 25. de Reformat. cap. 3. Constitutionemque S. C. P. Gerundæ anno 1717. celebrati de hac re editam confirmantes, S.A.C. statuimus, & ordinamus, quod in omnibus Curiosis Ecclesiasticis in Causis Civilibus, & temporalibus prima mandata, seu litteræ expediantur lingua materna, ac cum clausula justificativa, præcipiendo debitori, vt infra terminum decem dierum à die intimatione personalis computandum, solvat quantitatem debitam, aut cum Creditore suo se componeat, vel justas causas, & rationes, si quas habet, alleget, cur postulata, & præcepta facere non debeat: sub pena decem librarum monetæ Barcinonæ, & in subsidium Excommunicationis, cum comminatione, quod in casu contumaciæ, & non comparitionis intra præfixum terminum, isto elapso, procedetur ad exequitionem dictarum penarum, aut ad ulteriora in Causa usque ad Sententiam defini-

finitivam ; & ejus executionem ; contumacia non obstante.

Ad declarationem verò comminatæ Excommunicationis minimè procedatur , nisi tentatis omnibus diligentiis practicabilibus , quas excusare non liceat , solo prætextu expensarum , constet , executionem poenæ pecuniariæ practicari non posse ; omnesque Judices Ecclesiasticos enixè monemus , & hortamur , caveant , nè de facili reproductis primis Mandatis , & accusata contumacia , etiam casibus , in quibus executio poenæ pecuniariæ sit impracticabilis , ad comminatæ Censuræ declarationem deveniant ; sed pensatis omnibus circunstantiis , cum summa circunspectione , & maturitate se gerant , aut in illa decernenda , aut instantem ad vteriora in Causa procedere , declaratoria denegata compellendo .

Præterea omnibus , & singulis Creditoribus , ad quorum instantiam debitores fuerint excommunicati , injungimus , vt per invocationem Brachii Sæcularis , vel alias juxta Curiarum Ecclesiasticarum stilum teneantur contra dictos debitores excommunicatos procedere ad effectum , vt à Censura se faciant absolvere ; & si per duos menses Creditores in prædictis fuerint negligentes , ac de diligentissimis per eos factis , quoties à Judicibus Ecclesiasticis petitum fuerit , certiores eos non fecerint , sancimus , vt Judices Ecclesiastici absque aliqua Juris solemnitate , ad petitionem dictorum Excommunicatorum , vel ex officio possint eos liberè à dicta Excommunicatione absolvere , salva tamen manente Creditoribus actione , tam pro debito principali , quam pro expensis factis .

Et quia sæpe contingit personas prorsus miserabiles ad Creditorum instantiam excommunicari , quæ miseria , ac egestate præssæ nequeunt debita solvere , nec ab Excommunicationis vinculo liberari , huic incommodo occurrere etiam cupientes S. Ap. C. statuimus , & ordinamus , quod

si aliquando evenerit similes personas propter debita civia-  
lia excommunicari , earum Parochi Ordinarios quanto ci-  
tius reddant certiores ad effectum , vt de remedio oppor-  
tuno , & salutari ex officio provideatur.

### CONST. XIII.

**DECERNITVR ALMVTIARVM COLOR , QVI**  
*distinguat Ecclesiasticam Hyerarchiam in Ecclesias ,*  
*& Choro.*

**N**E in Choro , & Ecclesiis , incerta sit habitus ratio , &  
 Ecclesiasticæ Hyerarchiæ honor , & dignitas mi-  
 nuatur , dum inferiores ambitiosè sibi vendicant vestes , so-  
 lis gradibus superioribus congruentes : Plures hac in re à  
 Prædecessoribus nostris fuerunt editæ Constitutiones , qui-  
 bus providè cautum fuit , vt obtinentes Dignitates , & Ca-  
 nonici Almutias ex serino coloris carmesini ; Commensales  
 vero , Portionarii , Doctores , vel Licentiatи in Theologia ,  
 & in vitroque , vel altero Jure , violacei coloris suffultas de-  
 ferant . Sed cum hisce temporibus , non pauci ex Benefi-  
 ciatis , Commensalibus , Portionariis , seu Doctoribus utan-  
 tur Almutiis violacei carmesini coloris suffultis , quasi volen-  
 tes Canonicis in habitu apparere æquales ; expediatusque  
 ab Ecclesiis tolli importunam habitus Ecclesiastici confu-  
 sionem , cum perniciosa sit in hoc æmulatio ; Ideò S. Ap.  
 C. Constitutiones IV. quæ incipit : *Clericos , & V. incipien-*  
*tem : Ut virtuti , de Majorit. & Obed. innovantes , statui-*  
*mus , & ordinamus , quod singuli Prælati curent , vt in suis*  
*Ecclesiis abusus in prædictis penitus auferatur ; proceden-*  
*do per multas in dictis Constitutionibus expressas , aut*  
*alias pro suo arbitrio infligendas , adversus eos , qui habitu*  
*sibi non competenti , in Choro , & aliis functionibus Eccle-*  
*sia-*

sisticis condecorari præsument, facta verò Episcopis fa-  
cultyate, vt extra Civitates, in quibus existunt Ecclesiæ Ca-  
thedrales, pro merito Personarum, in explicanda præser-  
tim Doctrina Christiana, vel audiendis confessionibus la-  
borantium, addere, vel immutare quidquam possint, pro  
vt in Domino bene sibi visum fuerit expedire.

## CONST. XIV.

*INNOVATVR CONSTITVTIO PRO CATHEDRALIBVS DE  
applicanda Missa Conventuali pro fundatore,  
& benefactoribus.*

**C**Um Constitutio Provincialis XVII. anno millesimo  
septingentesimo decimo septimo edita, qua Capitu-  
lis Ecclesiarum Cathedralium Missæ Conventualis appli-  
catio pro fundatoribus, & benefactoribus quotidiè injun-  
gitur, debitæ executioni, pro vt accepimus, in omnibus  
Ecclesiis mandata non sit: Ideo S. Ap. C. dictam Constitu-  
tionem ( quo ad istud ) expressè, & specificè innovantes  
decernimus, & virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus  
omnibus, & singulis Capitulis, & Canoniciis Ecclesiarum  
Cathedralium, vt huic adeò gravi præcepto, & obligatio-  
ni omnino satisfaciant: Hortantes enixè omnes nostræ  
Provinciæ Episcopos, vt pro suo zelo sedulò invigilent,  
moneant, curentque hujus Sacrae Sanctionis observantiam,  
ac contra reluctantes, & inobedientes Juris remediis irre-  
misibiliter procedant.

## SANCTISSIME PATER.

**S**YNODUS Provincialis Tarragonensis post oscula pedum Beatitudinis Vestræ, humiliter, ac reverenter exponit, quod in Sessione habita sub die decima octava Novembris proximè præteriti agendo de reformatione, & super salutem animarum invigilando, sedulò disquisitum, fuit quodnam remedium videretur proficuum, & opportunum ad sanandum abusum in dicta Provincia communem nimis, quo præceptum Ecclesiæ de omittendo diebus Festis servili labore passim atteritur, quem abusum ut lachrymabilem ruinam animarum Confessarii Poenitentiæ Sacramentum ministrantes, in dies magis invalescere cum dolore cordis intrinseco deplorant. Et habito super hoc maturo tractatu, vñanimiter visum fuit præfatum abusum originem inde traxisse, quod nimurum fideles tam mechanicis operibus iudicantes, quam agrorum culturæ, falsa quadam specie necessitatis à præcepto se eximi facile putant hisce rationibus. Primum etenim Provinciam Tarragonensem montibus paſſim oppressam quasi quotidiana cultura egere, inquiunt, ut terra semen suum germinet: Deinde tributa, seu veſtigalia imposta super frumento, vino, & oleo, & super omnia opera manuum suarum indispensabiliter esse penitanda communi consensu allegant. Denique addunt, quod Festa de præcepto in hac Provincia colenda sunt quamplurima, quia demptis, quæ ex Voto, Titulari, seu Patrono in singulis respectivè locis coluntur, nonaginta & una de præcepto numerantur, siveque qui ex vultu sudore, & labore manuum victum emunt, miserrimè pereunt, nisi diebus Festis laboribus alioquin vetitis incumbant. Hasce causas, quæ veritatis speciem nonnunquam præferre videntur, ut necessitate compulsi diebus Festis sine peccato laborent Rusticani, crebrius quam opportet, contexit humana cupiditas, & vivis adeò coloribus depingit, ut veros saepe transgressores punire,

te, & evitare scandala nequeamus. Cupientes ergo tanto  
damno occurtere, ne cultus Festorum de medio tollatur, vi-  
sum fuit Concilio Provinciali, debita cum reverentia, &  
humilitate Vestram Beatitudinem suppliciter exorare, qua-  
tenus indulgere dignetur, vel ut dierum Festorum numerus  
minuatur, vel saltem in aliquibus fideles, audita Missa, la-  
borare valeant, manentibus cum obligatione integra præ-  
cepti omnibus diebus Dominicis per annum, diebus Nata-  
lis Domini, & sequentis Sancti Stephani, Circuncisionis,  
Epiphaniæ, Resurrectionis, & sequentis diei, Ascensionis  
Domini, Pentecostes, & sequentis, & Festo Corporis Chri-  
sti, Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri,  
& Pauli, Sancti Jacobi Apostoli, & Omnia Sanctorum, ac  
etiam quinque Festivitatibus Beatissimæ Virginis Mariæ  
(scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nati-  
vitatis, & Purissimæ Conceptionis) dummodo reliquis die-  
bus de præcepto, audita Missa, tuta conscientia fideles in  
hac Provincia Tarragonensi demorantes laborare publicè  
valeant. Hoc gratuitum donum, vt pote unicum, ac salubre  
remedium animarum, Concilium Provinciale, flexis geni-  
bus à Beatitudine Vestra humiliter expostulat, vtque Apo-  
stolicam benedictionem sibi impetriri dignetur Sanctitas  
Vestra, pro cuius incolumente ad bonum totius Ecclesiæ  
Deum Optim. Maxim. deprecari diu, noctuque non super-  
fedebit. Dat. Tarragonæ die duodecima Decembris anni  
millesimi septingentesimi vigesimi septimi.

### SANCTISSIME PATER.

Vestræ Beatitudinis

humilis, & obsequentiissimus Filius  
Synodus Provincialis Tarraconen.

*Emmanuel Archiepisc. Tarraconen. Praes.*

Locus Sigil  li. De mandato dictæ Sacré Synodi  
Provincialis.

*Ignatius Casanova Not. & Secret.*

VE-

VENERABILIBVS FRATRIBVS NOSTRIS  
 Metropolitano Tarracon. & Coëpiscopis in Concilio  
 Provinciali congregatis.

## BENEDICTUS PAPA XIII.

**V**enerabiles Fratres nostri, salutem, & Apostolicam benedictionem. Superabundavimus gaudio, cum Synodales Litteras à Fraternitatibus Vestris accepimus; & Pastoralem charitatem perspeximus, qua custodire vigilias super Gregem vestrum, Deique honorem tueri, & augere satagit. Nihil enim gratius nobis, & jucundius esse poterat, quam ut Insignes Ecclesiarum istarum Patres de Divino Cultu, & Animarum salute sollicitos, proposita opportuna servandæ disciplinæ, & levandæ necessitatis ratione ad hanc Ecclesiarum Magistratam recurrentes exciperemus. Quod igitur Festos dies ad ingentem istic numerum excrevisse, & obtenta alendæ vitæ necessitate, vetitis laboribus aditum jam latè aperuisse significastis; nec salubrius remedium esse censuistis, quam ut in aliquibus Festis diebus Christifideles, audita Missa, laborare valeant, integra remanente præcepti obligatione in ceteris Festis, quæ in Synodali Epistola numerastis, sapientissimum consilium confirmamus, & collaudamus; atque ut Fraternitates Vestrae eo pacto conscientiarum securitati, & Ecclesiasticæ observantiae prospiciant, cupimus, & commendamus. Dum autem Tarragonensi Provinciæ gratulamur Synodalem celebritatem veteris disciplinæ decora æmulantem, Fraternitatibus Vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima secunda Maii millesimo septingentesimo vigesimo octavo, Pontificatus nostri anno quarto.

Carolus Archiepiscopus Emissenus.

Locus Sigil 

No-

**NOMINA EORVM, QVI HVIC SACRO CONCILIO  
Provinciali interfuerunt.**

- I**llustrissimus, & Reverendissimus Dominus Don Emmanuel de Samaniego, & Jaca, Sanctæ Metropolitanæ Tarragonen. Ecclesiæ Archiepiscopus, Hispaniarum Primas. Reverendissimus Dominus Don Bartholomeus Camacho Madueño, Ecclesiæ Dertusen. Episcopus. Reverendissimus Dominus Don Raymundus de Marymon, Sanctæ Ecclesiæ Vicen. Episcopus. Reverendissimus Dominus Don Bernardus Ximenez de Cascante, Sanctæ Barchinonen. Ecclesiæ Episcopus. Reverendissimus Dominus Don Petrus de Copons, & de Copons, Sanctæ Ecclesiæ Gerunden. Episcopus. Admodum Reverendus Don Fr. Franciscus de Pastor, & Descatllar, Abbas Monasterii Sancti Petri Bisulduni. Admodum Reverendus Don Jacobus Portell, Abbas Ecclesiæ Collegiatæ de Cardona. Admodum Reverendus Don Fr. Balthasar Sayol, Abbas Monasterii Beatæ Mariæ Populeti. Admodum Reverendus Don Fr. Josephus Escardò, Abbas Monasterii Sandi Felicis Guixolen. Admodum Reverendus Don Fr. Franciscus Huguèt, Abbas Monasterii Sanctorum Crucum. Admodum Reverendus Don Fr. Hieronymus Cerrano, Abbas Monasterii B. Mariæ de Bellpuig de las Avellanias. Admodum Reverendus Don Antonius de Bru, & Canta, Prior Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ Annae Barchinonæ. Admodum Reverendus Dr. Josephus Busquets, Prior Ecclesiæ Collegiatæ Tarratiæ. Admodum Reverendus Dr. Benedictus Vinyals de la Torre, Archipresbyter Ageren. Admodum Reverendus Don Joannes Baptista de Vilana, & de Millàs, Archipresbyter S. Joannis las Abadessas.

Ad-

- Admodum Reverendus Dr. Felix Cervòs , & Soldevila ,  
 Prior Ecclesiæ Collegiatæ de Calaf.
- Admodum Reverendus Dr. Hyacinthus Romanyà , & Ca-  
 stells , Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ Minorissæ.
- Admodum Reverendus Don Joannes de Prat , & Santjulià ,  
 Archipresbyter Ecclesiæ Collegiatæ del Estany.
- Reverendus Dr. Franciscus Peyrì , Archidiaconus Villæsic-  
 cæ Sanctæ Metropolitanæ Tarraconen. Ecclesiæ , Procu-  
 rator Reverendissimi Domini Don Fr. Francisci Olasco  
 Hypenza , Sanctæ Ecclesiæ Illerden. Episcopi.
- Reverendus Dr. Antonius Cortès , Canonicus Sanctæ Ec-  
 clesiæ Dertusen. Procurator Reverendissimi Domini  
 Don Simeonis de Guinda , & Apestegui , Sanctæ Ecclesiæ  
 Vrgellen. Episcopi.
- Reverendus Dr. Augustinus de Figuerola Hospitalarius , &  
 Canonicus Sanctæ Metropolitanæ Tarraconen. Ecclesiæ ,  
 Procurator Reverendissimi Domini Don Thomæ Broto ,  
 & Perez , Sanctæ Ecclesiæ Cœlsonen. Episcopi.
- Reverendus Dr. Don Josephus Gisvert , & Velasquez , Ar-  
 chidiaconus Major , & Canonicus , ac Syndicus Reverendi  
 Capituli Sanctæ Metropolitanæ Tarraconen. Ecclesiæ .
- Reverendus Dr. Josephus Arquer Canonicus , & Syndicus  
 Reverendi Capituli Sanctæ Ecclesiæ Gerunden.
- Reverendus Dr. Jacobus Marti Canonicus , & Syndicus Re-  
 verendi Capituli Sanctæ Ecclesiæ Illerden.
- Reverendus Dr. Don Josephus Ignatius de Amigant & de  
 Olzina Canonicus , & Syndicus Reverendi Capituli San-  
 ctæ Ecclesiæ Barchinonen.
- Reverendus Dr. Petrus Busquets Canonicus , & Syndicus  
 Reverendi Capituli Sanctæ Ecclesiæ Vrgellen.
- Reverendus Dr. Joannes Paulus Senmarti Canonicus , & Syn-  
 dicus Reverendi Capituli Sanctæ Ecclesiæ Vicen.
- Reverendus Dr. Gaspar Ametlla Canonicus , & Syndicus  
 Reverendi Capituli Sanctæ Ecclesiæ Dertusen.

- Reverendus Dr. Joannes Camps Canonicus, & Syndicus  
Reverendi Capituli Sanctæ Ecclesiæ Cœlsonen.
- Reverendus Dr. Petrus Ignatius Perellò, Canonicus Sanctæ  
Metropolitanæ Tarraconen. Ecclesiæ, Procurator Ad-  
modum Reverendi Don Fr. Francisci de Cordelles, Ab-  
batis Monasterii de Gerri.
- Reverendus Dr. Raphael Llorens, Canonicus Sanctæ Me-  
tropolitanæ Tarraconen. Ecclesiæ, Procurator Admo-  
dum Reverendi Don Fr. Joannis Baptiste Descatllar, &  
Tord, Abbatis Sancti Stephani de Banyolas.
- Reverendus Dr. Isidorus Deulofeu, Canonicus Sanctæ Met-  
ropolitanæ Tarraconen. Ecclesiæ, Procurator Admo-  
dum Reverendi Don Emmanuelis de Mir, & Cadena,  
Abbatis Sancti Petri de Galligans.
- Reverendus Dr. Fr. Emmanuel Cavaller, Prior Monasterii  
de Rosas, Procurator Admodum Reverendi Don Fr.  
Francisci Guanter, & Pi, Abbatis de Amer, & Rosas.
- Reverendus Dr. Fr. Sylvester Llorens, & Morgades, Prior  
electus Monasterii Sancti Salvatoris de Breda, Procura-  
tor Admodum Reverendi Doctoris Don Felicis de Ta-  
vener, & de Ardena, Abbatis ejusdem Monasterii.
- Reverendus Fr. Joannes Campmany, Sacrista Monasterii  
Beatæ Mariæ de Rosas, Procurator Admodum Reveren-  
di Don Fr. Josephi de Gayola, Abbatis S. Petri de Roda.
- Reverendus Fr. Stephanus de Rotalde Monachus, & Con-  
cionator Generalis Monasterii Beatæ Mariæ Montiffer-  
rati, Procurator Admodum Reverendi Don Fr. Benedi-  
cti Tizon, Abbatis dicti Monasterii.
- Reverendus Fr. Anselmus Balsells, Monachus Professus, &  
Sacerdos Monasterii Sanctorum Crucum, Procurator  
Admodum Reverendi Doctoris Don Fr. Bernardi Gar-  
cia, Abbatis Monasterii B. V. M. de Benifassà.
- Reverendus Fr. Benedictus Puga, Procurator Major, Mo-  
nachus Professus, & Sacerdos Monasterii B. M. Montif-  
ferra-

serrati , Procurator Admodum Reverendi Don Fr. Josephi Ferrer, Abbatis Monasterii S. Benedicti de Bages.  
 Reverendus Don Fr. Joannes Arcidet, Monachus Professus,  
 & Conventualis Monasterii Scalae-Dei , Ordinis Cartusiens. Procurator Admodum Reverendi Don Fr. Francisci Vidal , Prioris dicti Monasterii.

*THEOLOGI S. C. P.*

Admodum Reverendus Benedictus Vinyals de la Torre  
 S. T. D. Archipresbyter Ageren.

Reverendus Hyacinthus Casanovas S. T. D. Canonicus Poenitentiarius Sancte Metropolitanæ Tarragonæ Ecclesiæ.

Reverendus P. Franciscus Cochet , Rector Domus Probationis Societatis Jesu Tarragonæ.

Reverendus P. M. Fr. Dominicus Huguèt , Ordinis Fratrum Prædicatorum.

*ADVOCATI S. C. P.*

Reverendus Antonius Anguera V. J. D. Canonicus Sancte Metropolitanæ Tarragonæ Ecclesiæ , Vicarius Generalis , & Officialis Illustrissimi , & Reverendissimi Domini Tarragonæ Archiepiscopi.

Reverendus Don Josephus Ignatius de Amigant , & de Olzina V. J. D. Canonicus , & Syndicus Reverendi Capituli Sancte Ecclesiæ Barchinonæ. Vicarius Generalis , & Officialis Reverendissimi Domini Barchin. Episcopi.

Magnificus Raymundus de Ferran , & Biosca V. J. D. Locumthenens Correctoris , & Alcaydus Major Tarragonæ , ac Locumthenens Gubernatoris ; necnon Assessor Generalis Campi Tarragonæ.

Magnificus Bonaventura Llorens , & de Barbera V. J. D. Advocatus Fiscalis Curia Ecclesiastica Tarragonæ. ac Judex Generalis Appellationum Civitatis , Campi , & Viciarie Tarragonæ.

FINIS.



